Quelle: https://manuscripta.at/?ID=46681
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

AD ROMA

et nomini tuo cantabo. Et iterum
dicit. Letamini gentes cum plebe
eius. Et iterum. Laudate omnes
gentes dominum. et magnificate eum
omnes populi. Et rursus ysaias
dicit. Erit radix yesse. et qui exsur-
get regere in eum gentes sperabunt.
Deus autem spei repleat nos omni
gaudio et pace in credendo. ut habun-
detis in spe et virtute spiritus sancti.
Certus autem sum fratres mei. et ego
ipse de vobis quoniam et ipsi plenis es-
tis dilectione. repleti omni scientia
ita ut possitis alterutrum mone-
Audacius autem scripsi vobis fratres
ex parte tamquam in memoriam vos
reducens. propter gratiam quae data
est mihi a deo. ut sim minister ihe-
su cristi in gentibus. sanctificans
euangelium dei. ut fiat oblatio ge-
tium acceptabilis et sanctificata in spi-
ritu sancto. Habeo igitur gloriam
in cristo ihesu ad deum. Non enim
audeo loqui aliquid eorum quae per
me non effecit cristus in obedientiam
gentium in verbo et factis. in virtute
signorum et prodigiorum in virtute
spiritus sancti. ita ut ab hierusalem
per circuitum usque ad illyricum mare
repleverim euangelio cristi. Sic autem
hoc euangelium predicari non ubi
nominatus est cristus ne super alienum
fundamentum edificarem. sed sicut
scriptum est. Quorum quibus
non est annunciatum de eo. videbunt.
et qui non audierunt de eo. intelli-
gent. Propter quod impediebar
plurimum venire ad vos et prohibitus
sum usque adhuc. nunc autem ulterius
locum non habens in his regionibus
cupiditatem huius autem venendi ad
vos. ex multis iam precedentibus
annis. cum in hyspaniam profi-
sci potero. spero quod pertranseundo
videam vos. et a vobis deducar illu-
cum vobis primum ex parte fruitus
fuero. Nunc igitur proficiscar in
hierusalem. ministrare sanctis. Pro-
baverunt enim macedones et achay-
ci collationem aliquam facere in
pauperes sanctorum qui sunt ihe-
rusalem. Placuit enim eis ut debito-
res sunt eorum. quoniam si spiritua-
lium eorum participes facti sunt ge-
nites. debent et in carnalibus mi-
nistrare eis. Hoc igitur cum con-
summavero et assignavero eis fruc-
tum. hoc proficiscar per vos in hyspa-
niam. Scio autem quoniam ven-
iens ad vos. in habundantia bene-
dictionis cristi veniam. Obsecro igi-
tur vos fratres per dominum nostrum ihesum
cristum et per caritatem spiritus sci.
ut adiuvetis me in orationibus
pro me ad deum. ut liberet me ab infi-
delibus qui sunt in iudea et obsequium
meum oblatio acceptabilis fiat in hierusa-
lem sanctis. ut veniam ad vos in
gaudio per voluntatem dei. ihesu.
ut refrigerer vobiscum. Deus autem
pacis sit cum omnibus vobis. amen.

Commendo. XVI
autem vobis phebem sororem
nostram quae est in ministe-
rio ecclesie quae est cenchris. ut eam
suscipiatis in domino. dignae sanctis.